



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

Mosi prædicatio durabat usq; ad Christum: sed quid profuit audire, cui non credebatur? Prædicat ergo in Psal. quandoq; rursum audiendam uocem dei per Christum. Monet itaq; ne similiter increduli pereamus.

Videte fratres, ne quando sit
in ullo, &c.

Qui iam nouerunt ueritatem, non indigent quotidie doceri, sed admoneri, ne decidant ab eo quod nouerunt, &c. Itē diligēter nota, quod in hac epistola peccatum appellatur sola incredulitas: sicut Chistus in Euangelio, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, &c. In quo omnes sunt, qui nō liberantur per Christi gratiam, &c. Initium substatiæ, &c. id est, rei quæ pertinet ad Christum: hoc est illorum quæ spectāt ad Christi fidem.

CAPVT IIII.

Cohæret cum præcedentibus, & præterea occasione accepta ex psal. ostendit aliud sabbatum esse credētium, quàm illud septimæ diei. Hoc exterius etiam singulis septimanis ab impijs agebatur, illud tantum pij etiam à mundi exordio nouerunt, in quod nunquam ingressi sunt increduli: non enim introire possunt. Nam ubi optimi uidentur, suis iustificari operibus querunt, id quod ex diametro pugnat cum sabbato dei. Pij uero ingressi in hoc sabbatum, cessant

r

ANNOT. IOANNIS POMERANI

ab omnibus operibus suis, sicut deus cessat ab omni opere suo, ut sumat uerbum, quo iam iterum conditi sunt, & noua creatura facti. Iam deinde in se agere efficaciter, sicut omnem suam uoluntatem, non ipsorum, sicut deus promisit uerbum suum, quo omnia condidit. Deinceps agere in creaturis uim & efficaciam, illis in creatione inditam, id quod est cessare, & tamen semper operari: sicut Christus dixit, Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Qui ergo uere credunt, id est, in solo deo haerent, & prorsus in nulla re mundi, nullaque iustitia, aut meritis humanis fidunt, sabbatum hoc habent deo sanctificatum, quod continue agitur & aeternum est, de quo Esaiæ 58. Et requiem dabit tibi dominus deus tuus semper, &c. Si auerteris a sabbato pedem tuum, &c. id est, festum & sabbatum erit perpetuum. Diuina uero sententia est, & metuenda, quod qui tentauerunt sepe deum increduli, iuramento dei prohibiti sunt, ne ingrederentur in requiem eius: id est, irreuocabili sententia excæcati sunt, ut respiscere deinde nequiuerunt.

Licet operibus.

Vt non possit hoc quod de requie dicitur, intelligi de sabbato septimi diei: nemo uero ignorat de terra promissa esse dictum. Et præterea quis non uidet, neque de sabbato septimæ diei, neque de terra promissa nos moneri in Dauide, ne obduremus corda ad uocem domini

ni, sicut illi: ne similiter non ingrediamur in requiem
 dei, sicut illi. Nam quando Dauid scribebat, iam in ter-
 ra illa promissa erat. Tres requies (ut ita dicam) hic
 uides. Requiem septimi diei à laboribus, requiem in 1
terra promissa ab aduersarijs, requiem in regno cœ- 2
lorum, quæ est uerè credentium, & uera requies, quæ 3
perficietur in resurrectione nouissima. Interim hæc
 caro molesta est, & urget ad pugnam, sicut tunc reli-
 ctæ gentes in terra promissionis exercitabant illum
 populum ad prælia, &c.

Viuus est enim sermo dei.

Ratio est præcedentium, ne simili incredulitatis ex-
 emplo ut illi pereamus. Hæc uerba solent uulgo cita-
 ri de gratia uerbi dei: sed certe sunt horrendissima, si-
 cut experti sunt, qui non potuerunt ingredi in requi-
 em promissam, Nume. 14. ubi dicitur, Luxit populus
nimis. Quam poenam uerbi dei iudicantis sentient in
 æternum damnati, sentiunt & sancti, ad tempus in hor-
 rorem iudiciorum dei derelicti. Hic sunt illæ uoces in
 psal. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, &c.
Conturbata sunt omnia ossa mea, &c. Hic conscientia
 deuicta iudicium uerbi dei sentit supra se, & æternam
 damnationem. Dumq; nihil consilij habet animus, sed
 omnia desperationis plena sunt, necesse est & ossa tre-
 mere, & corpus perire, oēsq; uires & corporis &
 animæ languere, & à se separari. Siquidem horren-

ANNOT. IOANNIS POMER.

dum est incidere in manus dei uiuentis . Sed non dereliquit pius pater suos in hoc tam horrendo inferno. Hic sunt rursus illæ uoces gratiarum actionis de liberatione : Erubescant & conturbentur omnes inimici &c. Seruasti me à descendentibus in lacum, &c. Sermo dei, scilicet quem loquitur contra incredulos, qui sunt contra quos iurauit, ut non introirēt in requiem eius, &c. uiuus est, nō mortua litera : & efficax, id est efficiens qd' iurat. Nō ergo contēnendus est, sed timendus est ob dei iudicia, atq; sic terret sæpe hæc epistola.

C A P V T V.

Habentes igitur pontificē magnū.

Quia de pontificio Christi cœperat dicere, data occasione, interim interpretatus est uerba psal. Hodie si uocē eius audieritis, &c. Reuertitur dicens: Habentes igitur, &c. Idcirco ab hoc loco recte auspicamur. Principio uero agit, ne, quia tanta maiestate & excellentia supra Christus descriptus est, fugiamus ab eo nostræ infirmitatis conscij & peccatorū. Quandoquidem & ipse est tentatus & imminutus ab angelis ad paruum tempus. Sicut supra dictum, ut fieret misericors, &c. : Itaq; deiectio Christi nobis facit ad eundem fiduciam, cum sciamus eum propter nos deiectum. Potētia uero facit perseuerandi fiduciam, quod scilicet nemo potest ex manibus eius rapere, &c. Pe-